

dixi. Nos autem, contra primum, dicimus Deum non expectare voluntatem hominis ut illam excitet, sed vocare illam juxta mensuram voluntatis suæ et gratiæ; nihilominus tamen affirmamus expectare voluntatem hominis, ut gratiam cooperantem vel subsequentem actu illi conferat. Secundo, addimus, ut Deus has gratias conferat, non expectare aliquod meritum fundatum in volitione aliqua libera, solis naturæ viribus facta; nam hoc etiam damnatum est in dicto Concilio, can. 3 et 6. Tertio, dicimus expectare Deum liberam cooperationem nostræ voluntatis, jam vocatæ, ut recipiat divinam inspirationem, non solis viribus, sed per divinam gratiam adjuta, ut dixit Concilium Tridentinum, dicto cap. 5; unde, licet quisquam credat esse necessariam præviã excitationem Dei, ad quam Deus non expectet voluntatem hominis, si diceret post illam nihil amplius operari gratiam, sed expectare Deum, ut voluntas solis suis viribus naturalibus libere consentiat, cum Pelagio quoad hanc partem sentiret, quia, concessa excitante gratia, adjuvantem negaret; utramque autem secundum fidem confiteri necesse est, ut in superioribus est ostensum. Nunquam ergo expectat Deus in negotio salutis, ut homo solis suis viribus operetur, et nihilominus expectat ut suum arbitrium cum adiutorio gratiæ flectat, et illi sese accommodet, ad inspirationem divinam libere recipiendam.

18. *Corollarium.* — *Declaratur prior pars.* — Quarto, hinc colligimus Deum, postquam hominem vocavit, ad dandum illi gratiam cooperantem, seu auxilium simultaneum, non expectare ab illo aliquem actum voluntatis integrum (ut ita dicam), qui ordine naturæ præcedat, et consequenter non expectare ab illo aliquod meritum vel dispositionem, sed solam quasi partialem concausationem. Prior pars declaratur, quia, post vocationem immediate expectatur consensus, qui, ut dixi, non fit solis viribus voluntatis; omnis enim alius actus solis viribus naturæ factus, et est impertinens, et non est meritorius auxilii voluntatis ad consensum; ergo nihil hujusmodi expectat Deus. In ipso autem consensu licet operetur voluntas hominis cum gratia adjuvante, non tamen operatur prius quam illa, et ideo non potest cooperantem gratiam mereri, nec ad illam se disponere; ergo non hoc expectat Deus, sed cum vocante gratia ex se gratis offert cooperantem. Quia vero ita offert cooperantem gratiam voluntati vocatæ, ut nec sine illa, nec prius quam illa, operetur, ideo necesse est ut liberum in-

fluxum simultaneum et concausantem expectet. Ultimo addimus, ad dandam aliquam subsequentem gratiam, expectare Deum voluntatem hominis, ut prius saltem natura aliquod opus liberum faciat, non sola, sed cum cooperante gratia, in quo opere aliqua ratio meriti vel dispositionis inveniri potest. Sic enim ut infundat gratiam homini vocato ad pœnitentiam, ab illo expectat ut consentiat et convertatur ad ipsum libere, juxta illud Zachariæ 5: *Convertimini ad me*, in quo *libertatis nostræ* admonemur, ut dicit Concilium Tridentinum, libertatis utique non per se operantis, sed gratiæ cooperantis ad conversionem, quam Deus expectat, ut per sanctificantem gratiam ad nos convertatur. Contra hos ergo modos expectandi voluntatem nihil facit canon Concilii Arausiacani.

19. *Objectio.* — *Retorquetur.* — Neque etiam obstat quod ex Augustino, in dicta epistola ad Vitalem objicitur, nimirum, quia si Deus expectat voluntatem excitatam, ut consentiat si velit, sequitur non facere Deum efficaciter et infallibiliter ut homo consentiat, quod est contra Augustinum, citato loco. Respondemus enim concedendo Semipelagianos nihil distinxisse inter vocationem congruam vel non congruam, efficacem vel non efficacem, sed absolute dixisse omnem vocationem dari ex hominis merito, prævia bona voluntate naturali, vel præcedente in re ipsa, vel saltem in præscientia divina; et hoc modo posuisse causam totius prædestinationis, etiam primæ vocationis ex parte hominis sua libera voluntate operantis. In quo errarunt, et reprehenduntur ab Augustino in illa epistola, et aliis locis. Hic autem error non sequitur ex hoc quod Deus, post vocationem gratis datam, expectet hominis liberam cooperationem ad consensum, quia etiam illa, cum datur, est effectus ipsius vocationis et gratiæ adjuvantis, et ideo non potest esse meritum, aut causa vocationis vel prædestinationis, cum sit effectus ejus.

20. Neque etiam sequitur, ex dicta Dei expectatione, quod Deus non vocet quos vult, ita ut efficaciter eos faciat consentire; quia inter vocationes datur aliqua *efficax*, quam Augustinus ibi *altam et secretam* vocat, alibi *congruam* et secundum propositum, et sicut absolute gratis vocat, ita etiam gratis sic vel sic vocat. Et nihilominus etiam quando congrue vocat, ad perfectionem operis expectat in executione cooperationem liberam voluntatis, quamvis eam certo præsciã infallibiliter esse futuram; hoc enim non est contra expectandi

propriatatem. Et per hanc vocationem simul operatur Deus ut velimus, et expectat ut ad volendum cooperemur; hæc enim duo non sunt repugnantia, sicut non repugnant Deum operari in nobis velle, et expectare ut fiat etiam a nobis. Et ita patet etiam responsum ad aliam verborum ponderationem, nam verbum *operandi*, et physicam efficientiam significare potest, quatenus Deus vere et physice efficit in voluntate inspirationem per quam illam vocat, et potest causalitatem etiam morale significare, quatenus per illam excitationem allicit voluntatem ad consensum, ut in superioribus explicatum est.

21. *Instantia.* — *Removetur.* — Ad ultimam rationem, quod causa non expectat suum effectum, respondeo Deum proprie non expectare suum effectum, ut illummet effectum producat, sed expectare concausam liberam, ut secum efficiat. Deus enim, per suam prævenientem gratiam, non est adæquata vel unica causa efficiens consensus humanæ voluntatis, seu determinationis ejus, sed est primaria causa quæ operari non vult ipsum consensum sine alia causa libera, et ideo expectat cooperationem, vel (ut ita dicam) condeterminationem ejus. Quod si instetur, quia, licet Deus, ut faciens consensum, non sit sola causa illius, nihilominus, ut facit voluntatem velle per gratiam præoperantem, est causa unica, respondeo ut sic non esse causam actualiter efficientem consensum, sed solam vocationem ad consensum, et ad illam efficiendam non expectare voluntatem hominis; illa vero vocatione jam facta, per illam non facit actualiter voluntatem velle, et ideo illam expectat, ut secum faciat determinationem, seu ipsum velle. Unde Augustinus, in dicto cap. de Grat. et liber. arbitr., postquam dixit: *Ut quid eos rogat, si gratiam sic susceperunt, ut propriam perderent voluntatem?* subjungit: *Tamen ne ipsa voluntas sine gratia putetur aliquid posse continere, cum dixisset: Gratia ejus in me vacua non fuit, sed plus illis omnibus laboravi, subjungit, et ait: Non ego, sed gratia Dei mecum, id est, non solus, sed gratia Dei mecum, ac per hoc nec gratia Dei sola, nec ipse solus, sed gratia Dei cum illo. Ut autem de celo vocaretur, et tam magna, et efficacissima vocatione converteretur, gratia Dei erat sola.* Ad vocationem ergo nihil est quod expectetur; ad effectum autem vocationis, liberam voluntatis cooperationem expectari necesse est. Unde si determinatio ipsa libera voluntatis consideretur ut est effectus Dei, sub ea ratione non ex-

pectatur a Deo, sed fit; prout est vero a libero arbitrio, sic expectat Deus ut voluntas humana secum in illam influat. Denique addo, quando una causa habet plures effectus inter se subordinatos, recte posse expectare unum ut faciat alium, et sic Deus expectat organisationem corporis humani, ut creet animam, quamvis organisationem etiam ipse faciat. Et ita etiam ut gratiam sanctificantem infundat, expectat hominis conversionem, quamvis hanc etiam ipse faciat. Nunquam tamen dicitur expectare illum effectum, ut ab ipso est, sed ut futurus est ab alia concausa; et proprie tunc habet locum, quando efficientia alterius causæ non est omnino ad unum determinata, ut satis declaratum est.

22. *Auctor scriptori sibi imponenti respondet.* — Ultimo, in hoc puncto adnotare libet quemdam modernum scriptorem mihi hac occasione imposuisse quod in *Metaphys.*, disputatione 22, sectione 4, dixerim: *Providentiam Dei expectare determinationem voluntatis humanæ*, et in hoc dictum invehitur, quia sic subtraheretur providentiæ libera nostræ voluntatis determinatio, quia supponeretur providentiæ, et quod alicui causæ supponitur, ab illa non fit. Sed illa propositio in terminis non invenitur in dicto loco *Metaphysicæ*, nec in aliis scriptis meis. Neque sequitur ex hoc quod Deus expectet voluntatem nostram ad ipsam determinationem cum illa faciendam. Neque, ex eo quod expectet voluntatis consensum ad aliam subsequentem gratiam conferendam, sequitur expectare illum ad totum ordinem providentiæ suæ, prout per illam propositionem significatur. Quocirca, cujuscumque sit illa propositio, ut minimum est ambigua, et non simpliciter proferenda, quia providentia est æterna, et comprehendit utrumque ordinem intentionis et executionis, et sub utroque cadunt liberæ determinationes humanæ. Et ut Deus per suam providentiam antecederet de illis disponat, non expectat illas, nec cooperationem voluntatis, quia dispositio providentiæ antecedit executionem et determinationem. Et hoc modo simpliciter loquendo, libera determinatio et cooperatio voluntatis est sub providentia, vel prohibente, vel permittente, et offerente generalem concursum, ut in operibus malis, vel ordinante, consulente, præcipiente, vel etiam præfiniente in operibus gratiæ. Et ita quoad hæc omnia providentia non expectat cooperationem liberam voluntatis. At vero, quoad ea quæ pertinent ad ordinem executionis, providentia vel

potius gubernatio divina expectat voluntatem humanam, vel ut cooperetur ad faciendum consensum, vel ut illi tribuat penam vel præmium, juxta ejus cooperationem. Et sic in præsentia materia non dicitur vere prædestinatio divina expectare determinationem humanam, et consequenter neque vocatio, quæ est primus prædestinationis, vel supernaturalis providentiæ effectus; justificatio autem divina recte dicitur expectare illam, et eadem ratione cooperatio auxilii divini dicitur expectare cooperationem arbitrii; quia isti sunt particulares effectus providentiæ gratiæ, qui, secundum ordinem executionis, a cooperatione voluntatis pendent, quam Deus perinde expectat.

## CAPUT XXXVIII.

EXPENDUNTUR CANONES QUINTUS ET VIGESIMUS-  
QUINTUS CONCILII ARAUSICANI, ET AN INITIUM  
BONÆ OPERATIONIS SIT, VEL NON SIT, A LIBERO  
ARBITRIO DECLARATUR.

1. *Inducitur canon quintus et vigesimus-  
quintus Concilii Arausicani.* — Alter canon  
illius Concilii, qui in hac causa inducitur, est  
canon quintus, ubi damnatur qui dixerit initium  
fidei esse ex nobis, et non esse ex Deo, quod  
generalius dicitur in canone 25: *Hoc salubriter  
prostemur et credimus, quod in omni opere bono  
nos non incipimus.* Nam hoc (aiunt) intelligendum  
est de initio proximo, non de remoto tantum, seu  
de initio efficacis gratiæ, non tantum de sufficiente,  
quia salus non inchoatur, nisi per gratiam efficacem,  
nec bonum opus incipit proprie, nisi cum voluntas  
incipit ad consensum determinari. Ut ergo vera  
sit universalis illa definitio Concilii, necesse est  
ut voluntas nostra in suo bono consensu a Deo  
prædeterminetur, ut sic Deus incipiat in nobis  
bonam voluntatem. Alioquin si voluntas est quæ  
se determinat, illa inchoat bonum opus, et non  
Deus, et sic falsum est quod in omni opere bono  
nos non incipimus.

2. Propter hoc argumentum solent alii auctores  
nobis tribuere, quod asseramus initium bonæ  
operationis ita esse nostrum, ut non sit Dei  
moventis; eoque progrediuntur, ut nos affirmare  
dicant initium consensus liberi esse ex nobis  
solis, secluso Deo, ut F. Davila expresse dicit  
locis citatis, et Ledesma sentit, dicens ex nostra  
sententia sequi, quod divina voluntas non faciat  
realiter in nobis quod vult, sed duntaxat moraliter,  
ut per nostrum

liberum arbitrium nos applicemus ad actionem,  
et simul soli causa physica applicandi illud  
donum ad usum. Unde inferunt etiam ulterius  
sequi ex nostra sententia, gratiam esse pedissequam  
nostræ voluntatis, et ita contra nos inducunt  
canonem sextum ejusdem Arausicani, quatenus  
damnat eos qui *humilitati aut obedientiæ humanæ  
subjungunt gratiæ adjutorium.* Probatur sequela,  
quia si Deus non prædeterminat voluntatem  
nostram, ipsa præcedit saltem ordine naturæ  
inchoando suam determinationem et obedientiam,  
et applicando se ad opus (ut Ledesma mihi tribuit)  
*prioritate quadam causalitatis physice, et realiter,  
ut statim Deus influat ex vi suæ voluntatis  
antecedentis.* Est ergo gratia pedissequa  
voluntatis, non e contrario. Nec hoc inconveniens  
vitatur per hoc quod gratia antecedens præcedat,  
quia, licet præcedat in essendo (ut Davila  
objicit), in operando est posterior, juxta  
nostram opinionem.

3. Priori ac principali argumento usus est  
Calvinus in suo Antidoto contra Concilium, quod  
docet gratiam infundi unicuique secundum  
propriam dispositionem et cooperationem, contra  
quod objicit: *Quia hoc gratiæ initium est, ut  
ex nolentibus faciat volentes, ut fides tam in  
suis exordiis, quam incrementis usque ad ultimam  
perfectionem Dei sit donum.* Cui respondet Ruardus,  
dicto art. 6, circa finem, aiens: *Nec gratiæ  
initium est quod, ex nolentibus ac repugnantibus  
faciat volentes, sed est magnus in ea progressus;  
præcedunt enim sanctæ cogitationes, etc., quæ  
responsio continet sensum verum Arausicani  
Concilii, cujus canones sumpti sunt ex doctrina  
Augustini, qui, ad redarguendos Semipelagianos,  
initium justitiæ et boni operis reducit ad sanctam  
cogitationem, ut patet lib. de Prædestinatione  
Sanctor., cap. 2 et sequentibus, et lib. 2  
contra duas epistolas Pelagianorum, cap. 8, seu,  
quod idem est, ad vocationem. Unde in quæst. 2  
ad Simplician., inter alia dicit: *Quia non  
præcedit voluntas bonam vocationem, sed  
vocatio bonam voluntatem, propterea vocanti  
Deo tribuitur quod bene volumus;* similia habet  
lib. 83 Quæstion., q. 68. Et similiter Cælestinus  
Papa, epistola 1, cap. 8, hoc initium vocat  
*instinctum Dei,* cum Zozimo Papa, et Concilio  
quodam Africano; at vero non est aliud instinctus  
quam vocatio, vel inspiratio, aut excitans gratia,  
ratione cujus honorum operum initium Deo  
tribuitur: *Ideo utique, ut ibidem dicitur, quia  
preparatur voluntas a Domino, et, ut boni aliquid  
agat, paternis in-**

*spirationibus suorum tangit corda fidelium.* Et  
eodem modo loquuntur de initio salutis passim,  
contra Semipelagianos, Prosper, Fulgentius, et  
Petrus Diaconus, in operibus contra illos, quibus  
consonat Bernardus, lib. de Grat. et liber. arbitr.,  
in principio, dicens: *Gratiæ operanti salutem,  
cooperari dicitur liberum arbitrium, dum consentit,  
hoc est, dum salvatur: consentire enim salvari est.*  
Non est ergo initium salutis, sed magnus progressus,  
ut dicit Ruardus, quod pluribus verbis circa finem  
libri Bernardus prosequitur, quæ paulo post  
commemorabo.

4. *Assertio prima de initio fidei, vel boni  
operis.* — Primum ergo dicimus Concilium  
Arausicanum in hoc sensu locutum esse de initio  
fidei, vel boni operis; doctrina enim ejus contra  
Semipelagianos est, et fidem et voluntatem  
credendi initium in nobis sumere ab inspiratione  
divina gratis data, et non ex aliquo bono  
desiderio, vel invocatione, aut obedientia, quæ  
in nobis præcesserit, quod, præter omnia dicta,  
ex verbis ejus licet intelligere. Nam in dicto  
can. 5, *initium fidei dicit fieri per inspirationem  
Spiritus Sancti,* et per illud fieri ut velimus;  
et cap. 7, repetit: *Absque illuminatione et  
inspiratione Spiritus Sancti.* Ac tandem in cap. 25,  
postquam dixit *in omni bono opere nos non  
incipere,* addit: *Sed ipse nobis nullis  
præcedentibus bonis meritis, et fidem et amorem  
sui ipsius inspirat.* Et juxta hanc intelligentiam  
locutum est de exordio justificationis Concilium  
Tridentinum, dicta sess., cap. 5, et de initio  
fidei, spei et charitatis, in can. 3.

5. *Suppositio.* — Cum ergo nos ante omnem  
consensum bonum, et ante liberam determinationem  
ad illum, supponamus præcedere initium gratiæ  
per sanctam cogitationem, et piam excitationem  
voluntatis, quæ voluntatem inclinet et inducat  
in consensum, superflue contra nostram sententiam  
hæ definitiones afferuntur. Et ab omni recto  
sensu alienum est, per hoc initium prædeterminationem  
velle intelligere; tum quia nec Concilium  
Arausicanum, nec alii Patres tale auxilium  
explicarunt; tum etiam quia ante illam præcedit  
vocatio; tum denique quia illud initium omnibus  
operibus naturalibus commune est, imo etiam  
malis, ut actiones positivæ sunt (juxta illam  
sententiam), atque ita si illud est initium operis  
boni, de quo tractat Concilium, eadem definitio  
habebit locum in operibus quæ ad gratiam non  
pertinent, quod absurdissimum est. Præterea hoc  
declaratur, quia Concilium lo-

quitur de initio fidei, vel boni operis, quod  
Deus in nobis sine nobis operatur; hoc autem  
non est nisi initium quod in vocatione seu  
excitatione positum est, pertinet enim ad illa  
bona quæ sunt in homine, et ea non facit homo,  
ut supra diximus. At vero aliud initium quod  
in ipso consensu, vel determinatione libera  
consideratur, non fit a solo Deo, ut jam diximus,  
et iterum statim dicemus. Unde est illud  
Bernardi in dicto libro, in fine: *Deus tria  
hæc (hoc est, bonum cogitare, velle, et perficere)  
operatur in nobis, primum profecto sine nobis,  
secundum nobiscum, tertium per nos;* et infra:  
*A Deo sine dubio fit nostræ salutis exordium,  
nec per nos utique, nec nobiscum; verum consensus  
et opus, etsi non ex nobis, non jam tamen sine  
nobis.*

6. *Secunda assertio de initio proximo, vel  
remoto.* — Unde addo secundo distinctionem  
illam de duplici initio proximo vel remoto in  
præsentia supervacaneam esse, et frustra inventam  
esse ad sensum Concilii detorquendum. Quia  
Concilium non tractat de initio actus boni,  
quod sit aliquid intrinsecum ipsi actui, et quasi  
pars ejus, sed de initio quod hominem movere  
incipit ad talem actum, quod, per se loquendo,  
seu ex necessitate, non est nisi unum; quod est  
primum gratiæ auxilium, et vocatur principium  
causaliter, et effective, non materialiter. Addo  
etiam in ipsomet actu consensus non distingui  
initium intrinsecum et proximum ab actu, nisi  
forte ipsa actio per quam fit qualitas illa, quæ  
est actus, vocetur initium ejus; quod physice  
considerari potest, moraliter autem nihil refert,  
quia in ipsa actione consistit moralis ac libera  
determinatio, cujus initium est divina vocatio et  
inspiratio: ipsa autem effectio consensus, jam est  
ipsa libera pietatis operatio; ergo non datur ibi  
initium ab actione libera et a vocatione distinctum,  
quod sit medium inter utramque. Solum ergo  
ratione vocationis et excitationis præviæ, dictum  
est a Concilio, quod *in omni bono opere nos non  
incipimus.*

7. *De initio salutis, vel conversionis absolute,  
vel efficacis.* — De altera vero distinctione ad  
eundem finem inventa, de duplici initio salutis,  
vel conversionis absolute, vel de initio efficacis,  
quorum primum ponitur in vocatione, secundum  
in prædeterminatione, dico imprimis illam  
distinctionem in Patribus non reperiri, solum  
eos loqui de initio salutis, vel bonæ voluntatis,  
per vocationem et inspirationem divinam, et  
consequenter de illo intelligi prædicta decreta.  
De alio vero initio, quod